

Caput I.

45

Jacobi Patrem, qui cum proceræ staturæ foret, salicis, inter arbores altissimæ, similis dicebatur. Unde postea Jacobus filius, filius Saliconis, vel Jacobus Saliconis dictus est; quam speculationem Papebrochius antea fecerat. Nos autem de his omnibus speciale Dissertationem instituemus, quæ numero Quarta erit.

Observavimus tamen in Papebrochio, quæ intra parenthesim posuit, de Alexii, seu de Alessio appellatione loquens. *Quo nomine in Sicilia locus est, & forsan etiam in Calabria aliquis.* Verè est in Calabria locus, qui de Alexio, vel de Alessio, aut potius Alessi dicitur; Pagus nempe Calannæ Terræ, in superiori Calabria, situs, qui in spiritualibus Archiepiscopo Regino patet, in temporalibus verò Bagnariæ Duci, ex inclita Rufforum stirpe, subjacet. Sic Dominicus Martyr Alessi vocat, Joannes verò de Flore dicit Alecci; ut ut res sit, si non vox, vocis saltem vestigium deprehenditur. Subdit insuper Papebrochius vocem illam de Alexio per errorem fuisse à Scriptore nostro positam; sed hoc credere quis poterit? Saltem si Scriptor noster, non conterraneus fuit, ut ipse opinatur, quamvis nos conterraneum fuisse ostenderimus; fuit tamen & incolatu, & familiaritate, & convictu talis, ut S. Patris familiam, aut Parentes, aut Sororem, aut Agnatos Paulæ, ubi non parum mansit, cognoscere facillimè potuerit; & proinde S. Patris familiam ab aliis, ut necessarium erat, distinguere etiam debebat, & non ita eas confundere, ut aguatorum familiam Jacobo Patri tribueret.

V. Et SANCTORUM DE ASSISIO) Papebrochius interpretatur: SS. Franciscus, & Clara. P. de Longobardis lectionem quorumcumque exemplarium varians, non Sanctorum, sed posuit, Sanctique de Assisio; subdens: Sic reposuimus, delendo Sanctorumque prater historia
veri-